IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



mantes / crucifige crucifige eum / o sceleste facinus / nega-
uit iudex fieri quod populus clamabat impleri / consequen-
ter in ipsa morte dixerunt insultando et irridendo euge
euge iam viderunt oculi nostri facta tua et mirabilia quod
nichil sunt aut dolosa iudimus iam quod de te disideravimus
efficere ut suasor plebis cum latronibus in cruce pen-
deres

Vidisti domine impietatem eorum quam crudeles sunt illi
michi / vidisti eorum nequiciam / et meam innocenciam sed
ideo ne sileas sed pfer sniam ne discedas a me in passione
subtrahendo michi auxilium

Non discedas a me domine sancte pater / sed pocius

Exurge ostendendo potenciam tuam qui dormire videris
dissimulando et intende iudicio quo iudicatus sum a iudeis
et considera quale iudicium sit / iudicium sine iure / tormenta
sine scelere / mors sine peccato / domine deus meus intende
in causam meam pro qua pacior que pia est / quia pro
redemptione humani generis pacior et morior non pro
peccatis meis

Iudica me secundum iusticiam tuam que non con-
dempnat innocentes sed impios / et ostende me iustum et
innocentem faciens me tercia die resuscitari et non supgau-
deant michi quasi victores in causa qui gaudent me com-
prehendisse et morti tradidisse

Oro insuper Non dicant in cordibus suis euge euge
anime nostre i. bene bene est nobis / quia fecimus quod voluimus
et occidimus / ostende eis tercia die me resuscitando quod nichil
fecerint et ut non gaudeant dicentes devoravimus et
extinximus nomen eius

Sed pocius in clarificatione resurrectionis mee

Erubescant tamquam frustrati intencione sua pessima
timeant omnes simul penam et repentinum interitum
qui gratulantur malis meis

Induantur confusione hic et erubescant / sive timore circumdentur